

Digitales Brandenburg

hosted by **Universitätsbibliothek Potsdam**

Chrestomathia Targumica

Merx, Adalbert

Berlin, 1888

PROLEGOMENA.

urn:nbn:de:kobv:517-vlib-10295

PROLEGOMENA.

I.

Δός μοι ποῦ στῶ.

Haud pauca de libri, quem manibus teris, consilio et fine dicenda haberem, si longus esse vellem et res singulas suis argumentis munire; at temporis angustia, crescentisque voluminis ambitus me impediunt, quominus multa verba faciam in re, quae quavis hujus libri pagina satis superque illustratur. Itaque sine ullo argumento theses propono, ex quibus intellegitur, quid haec chrestomathia targumica sibi velit et quorumnam usui sit destinata.

Textuum targumicorum in libris manu scriptis ea est condicio, ut consonantes quidem satis bene sint traditae, vocales vero adeo fluctuent, ut in punctis incredibilis prope inconstantia scribendi cernatur. Ex talibus libris Targumi editi sunt saeculis XV et XVI, et hae editiones deinde sunt repetitae ita, ut editores pro suo ingenio mutarent et corrigerent sive analogiam grammaticae syriacae secuti, sive vocalismum biblicum in libris Danielis et Ezrae traditum. Buxtorffii ratio, qui librorum biblicorum analogiam commendavit, ex excerptis commentationis, cui inscripsit *Babylonia*, cognoscitur, quae in hoc libro et in Hilgenfeldi *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie* 1887, P. 280 sq. a me sunt

edita. Buxtorfius in libris biblicis fundamentum emendandi vocalismi Targumorum positum esse censens ante omnia id agere debebat, ut libros biblicos secundum manuscriptos codices antiquos recenseret, quod non fecit. At si credebat in editionibus impressis omnia cum codicibus conspirare erravit, quod J. D. Michaelis in excerptis ex codice Casselano (Gram. chaldaica Gottingae 1771, P. 105) docuit et comprobavit. Libros manu scriptos ad emendandum vocalismum Targumorum nemo adhibuit; si quis adhibuisset, oleum et operam perdidisset, nam adeo inter sese diversi sunt, ut nemo dicere possit, quid sit sanum et rectum, neque quisquam ex hac confusione elicere potuisset textum emendatum. Qui tale opus suscepisset, ei eodem modo irridendum fuisset, quo Rogerus Baco monachis irrisit correctoria biblica ex libris pessimis studio magno iudicio nullo concinnantibus. Felici igitur casu factum est, ut nemo inde a saeculo XVI ad hunc diem textum Targumorum ex manuscriptis libris instaurare conatus sit, nullo pacto enim res ei bene cessisset.

Grammaticae et lexica linguae aramaeae Judaeorum ex veteribus editionibus excerpta innumeris mendis non scatere non poterant, aqua limpida ex fonte turbido non hauritur. Grammaticam ex textibus qui aderant componi non posse jam Elias Levita intellexit. Berliner Targ. Onkelos II 185.

Desperandum erat de instaurandis textibus, de scribenda grammatica, de concinnando lexico sordibus cujusdam Suburrae non inquinato. At mutata est haec rerum condicio Londinium allatis ex Arabia meridionali codicibus, qui non signis tiberiensibus infra lineam positis sed signis babylonis supra lineam pictis instructi sunt. Vocales in libris tiberiensibus picti ex libris babylonis haustae sunt, tiberienses sunt rivuli, babylonici fontes. Vocalismus babylo-

nicorum librorum in Arabia saec. XII scriptorum in rebus gravissimis cum vocalismo syriaco edesseno convenit, ubi recedit, semper et eodem modo recedit, qua re comprobatur proprias esse has pronuntiandi consuetudines dialecto Targumicae, quae in his rebus suam sequitur legem. Exempli causa affero vocalismum particularum ברול. Habemus in libris babilonicis descriptam pronuntiationem linguae aramaeae, qualis erat Saec. VII.

Ad emendandum textum Targumorum ante omnia in censum vocandi sunt libri babilonici; editio multorum laude celebrata, quae anno 1557 Sabbionetae — quod ita scribendum esse docuit Lagardius Götting. Gel. Anz. 1. Nov. 1886, P. 864 — publici juris est facta, nihil est nisi textus in quo vocales babilonicae haud accurate tiberiensibus signis sunt expressae. Qua in re quanta diffidentia opus sit, P. 55 sq. libri hujus demonstrant.

Itaque ex libris Londiniensibus, quorum catalogum ab Hoerningio compositum infra exhibemus, — et si qui alii sunt libri babilonici — Targum est edendum, quod quum opus sit arduum, partes selegi, e quibus disceretur, quinam sit usus horum librorum ad emendandum vocalismum Targumorum, ut tali modo ad editionem omnium Targumorum via muniretur. Et quia textus Londinienses tam boni sunt, ut omnes quosquos vidi emendato et puro vocalismo antecellant, librum ita adornavi, ut etiam discentibus utilissimus sit et commendatus. Locos selegi ex Targumo Pentateuchi et Prophetarum; ex Hagiographis totum Canticum Cantorum chrestomathiae inserere volui, at nimio volumine impeditus Somnium Mordechaei tanquam dialecti Palaestinensis specimen ejus loco suffeci. Jam igitur Canticum Cantorum seorsum editurus sum ex quatuor codicibus, binis Babilonicis,

et tiberiensibus, accedente varia lectione bibliorum regionum et bombergianorum.

Ut vero legentibus pateat, qualis sit vocalismus librorum tiberiensium et quae ratio intercedat inter vocalismum utriusque codicum generis, contuli codices tiberienses antiquissimos. Et hi sunt codices tiberienses e quibus excerpti lectiones in adnotatione critica propositas:

1. R = Codex Reuchlinianus seu Durlacensis de quo conferendus est Lagardius in *Prophetis chaldaice Lipsiae* 1872, P. II. — Scriptus anno 1105. De ejus vocalibus v. P. 104—110 hujus libri. Codex Caroliruhae assertus pertinet ad bibliothecam aulicam Friderici I Magni Badarum Ducis.
2. K = Codex Kissingensis scriptus anno 1189, de quo videas A. Berliner *Targum Onkelos* II 247. — Codicem summa liberalitate mihi commodavit vir illustrissimus Bamberger, regionis Kissingensis Rabbini primarius, cui hoc loco maximas gratias ago ob beneficium misso codice in me collatum.
3. M = Codex Rhedigeranus, quondam in Bibliotheca Gymnasii Stae Magdalenaenae nunc in bibliotheca urbana Vratislaviensi asservatus, scriptus anno 1238.
Codicis usum in Bibliotheca Heidelbergensi intercedente Bibliothecario urbeno S. Marquardsen, Dr. phil., mihi concessit Senatus Vratislaviensis, cui debitam reddo gratiam. De codice vide Levy *Chald. Wörterbuch* II, P. IV.
4. V = Codex Bibliothecae Seminarii Frankeliani, quod est Vratislaviae, scriptus anno 1285. Viri doctissimi Henricus Graetz et Zuckermannus, qui codicem in Bibliotheca Heidelbergensi in usum meum deponendum cura-

verunt, hoc loco omni laude mihi sunt commemorandi. Codicem descripsit Levy l. l. P. I.

5. Codex de Rossianus 12, scr. anno 1311, e quo Deutr. 32, 16—26 in usum meum exscripsit clarissimus Petrus Perreau. Vide P. 55.¹⁾

Praeter hos codices usus sum editionibus typis vulgatis, Bononiensi anni 1482, Ulyssiponensi anni 1491, Sabbionetensi anni 1557 in repetitione Berliner, Antverpiensi anni 1572, Bombergiana 1547, Stephani 1556.

Variam lectionem igitur horum codicum Tiberiensium et harum editionum adjeci ad textus e codicibus babylonicis haustos, quorum duo genera sunt distinguenda:

1. Textus babylonici antiqui, in quibus signa vocalium composita praeter $\overset{\text{z}}$, quod adhibetur in קָרֶז , non exstant. Uno loco Num. 21, 11 habes בְּמִדְבָּרֵהָ ²⁾, in textu impresso vero lineola super puncto omissa est, qua addita adnotatio ad vocabulum adjecta recte demum intellegitur. — Signum $\overset{\text{z}}$ quo Hātef Qames exprimitur in קָרֶז his codicibus proprium est, in altero enim codicum genere nunquam Hātef Qames designare potest, sed potius Qames ante Dageš. Ad hunc codicum ordinem pertinent Codd. Musei Britannici hi: Or. 1467, Or. 2228, Or. 2363, Or. 1470, Or. 2210, Or. 2211 e quibus textum meum selegi, item Or. 1476, e quo Canticum Canticorum editurus sum. A quibus diversum et me judice recentius est genus alterum, quo continentur

2. Textus babylonici recentiores, in quibus signa vocalium composita adhibentur. Exstant in codicibus Petro-

¹⁾ In libro ipso annos codicum aliquoties memoriter scribens haud recte notavi. Itaque moneo annos in praefatione hac traditos veros esse, falsos vero eos, qui a numeris hic prolatis recedunt.

politans 132 et 133,¹⁾ e quibus rogante viro amicissimo D. Chwolsohn in usum meum locos Deut. 32, 16—28, Jon. 1—4, Mich. 6, 3—8; 7, 14—20 — nihil enim praeter haec fragmenta ex Micha servatum est — exscripsit vir illustrissimus Israelsohn, cujus opus improbi laboris plenum grato animo accepi. V. P. 44. Vocalium signa eadem sunt, quae e codice babylonico Prophetarum Petropolitano innotuerunt, eaque ab antiquioribus diversa, quod in ^z supra adnotavimus.

Ex his igitur fontibus chrestomathiam excerpti, ita ut jam omnes suis oculis possint videre et judicare de textuum condicione. Scripturam codicum perraro mutavi; ubi mutavi, lectionem codicis in adnotatione adscripsi, et eo cautius hoc in negotio agendum est, quo magis intellegitur lectiones miras et primo obtutu nulla analogia comprobandas re vera non in hisce codicibus solis haberi, sed etiam in aliis codicibus — ipsis quidem latentibus latere. Exempla praebent, quae in glossario sub רום et ידא sunt proposita, et miram ad scripturam הוֹשַׁבְתִּי, סְפֹרֵי 111¹³, קְדָמוֹרֵי Deutr. 32, 16 analogiam e codice Casselano Dan. 7, 7 exscripsit J. D. Michaelis אֶתְרֵי terribilis. Gram. chald. P. 117. Hujusmodi lectiones qui ope Masorae jugulandas putant, rem judicandam judicatam censent. Testis est codex Reuchlinianus, Erfurtensis, Kissingensis, Casselanus, qui omnes a Masora recedunt, i. e. a schola illa, quae textuum scripturam fraeno imposito cohibere conata est, ita ut intellegatur non omnes se fraenari passos esse. Inconstantia quaedam scribendi in statu constructo aliquoties observatur, cujus vocalis contra

1) De codicibus conferendus est Catalogus a Strack et Harkavy editus.

usum Aramaismi more hebraeo corripitur e. c. פורקן נפשיה pro פורקן 93, al.

Quod attinet ad lectiones לסוראי et לנהרדנאי, quas Berliner recensuit Massora zum T. On. P. 62, codices babilonici plerumque cum סוראי faciunt, at Gen. 49, 9 legitur בסופא pro לס, 49, 13, בספירן pro וס, quod l. l. Nehardeensibus tribuitur, ita ut aut codices sint in textu titubantes, aut Masorae notae fide indignae.

Librum etiam in usum discentium destinatum sine glossario edere non potui, non solum quia lexica majora nimio pretio constant, verum etiam quia formae grammaticae in lexicis erroribus permultis foedantur. Itaque in elaborando glossario id imprimis egi, ut omnes formas grammaticas colligerem et summam codicum in rebus grammaticis constantiam uno conspectu oculis proponerem. In glossario igitur habes thesaurum grammaticum linguae aramaeae secundum traditionem codicum babilonicorum. Haec ubi cum Syrorum lingua edessena contuleris, judicare poteris de praestantia vocalismi in codicibus babilonicis, quibus innumeri errores veterum lexicorum emendantur. Praeterea quamvis semper brevitatis studiosissimus locos difficiliore in glossario explicui, ita ut simul commentarii vices gereret. Deinde ad dialectorum differentias animum adverti, et quantum fieri potuit constitui, num vocabulum omnibus Aramaeis esset usitatum an uni alterive dialecto proprium. Porro in variis nominum statibus recensendis accuratissimus fui, quia haec res hucusque neglecta ad recte aestimandam linguam targumicam est gravissima. Denique quam brevissime indicavi et quaenam vocabula ex lingua technica Theologorum et Jureconsultorum judaicorum in linguam aramaeam immigraverint et quaenam vocabula aramaea deinde in Arabum

libros pervenerint. Numeri minimi ad adnotationem criticam remittunt, in qua scripturae tiberienses propositae sunt, iisdem vero numeris simul usus sum, ut vocabulorum, quae in glossario citantur, locum in paginis singulis accuratius definirem, ita ut hi numeri oculis quaerentibus quasi indices locorum facti sint. Nomina propria alphabetice recensentur.

Praeter eos viros, quorum in hunc librum merita supra grato animo commemoravi, in fine Reinhardum Hoerningium in Museo Britannico codicum orientalium custodem nescio quomodo digne collaudem, qui indefesso amore ad tot quaestiones et quaestiunculas iterum iterumque codices evolvens mihi respondit, et sine cujus auxilio totum opus vix potuissem ad finem ducere. Scribam sub finem, qui mecum codices descripsit J. Spiram (שפירא) Judaeum Londiniensem, iis commendatum velim, qui opus habent calligrapho in legendis libris manuscriptis hebr. et chald. exercitato, semperque ad describendos codices in Museo Britannico paratissimo.

Drugulini institutum typographicum, in quo hujus libri causa vocales babylonicae accuratissime paratae sunt, et typothetae Guil. Kuehnii artem nitidus paginarum adspectus celebrat.

Sed jam praefandi finem facio; volumen, quod manuteris, parvum tibi videbitur, lector benevole, mihi vero opus fuit immensi laboris plenum taedii et curarum, ita ut opus difficilius et intricatius me nunquam suscepisse confirmem. Omnia e fundamentis nova erant facienda, neminem habui, qui mihi viam munivisset, et quum hisce mecum utaris, a quibus laetiora studii Targumorum incrementa auguror, rogo ut quae peccavi ignoscas, quae emendare potis eris mecum communices.

Dedi Athenis die XXVI mensis Septembris anni MDCCCLXXXVII.

ADALBERTUS MERX.

II.

CATALOGUS CODICUM BABYLONICORUM
IN MUSEO BRITANNICO ASSERVATORUM QUEM
CONCINNAVIT REINHARDUS HÆRNING.

I. HEBREW TEXT.

1. MS. Orient. 2366. XVth cent. Vellum. Genesis and Exodus.
2. MS. Orient. 1477. XIVth cent. Paper. Psalms, Ecclesiastes, Canticles, Lamentations I 1—17.
3. MS. Orient. 2373. XIII—XIVth cent. Vellum. Ruth, Psalms, Job, Proverbs, Ecclesiastes, Canticles.
4. MS. Orient. 2374. XV—XVIth cent. Vellum. Psalms, Job, Proverbs, Lamentations, Daniel, Esther, Ezra-Nehemiah, Chronicles.

II. HEBREW TEXT AND TARGUM.

1. MS. Orient. 2363. XIIth cent. Vellum. Pentateuch.
2. MS. Orient. 1467. XIIth cent. Vellum. Leviticus, Numbers, Deuteronomy. [See the Palaeographical Society's Oriental series, pl. LIV.]
3. MS. Orient. 2703. XVth cent. Vellum. Fragment of Genesis.
4. MS. Orient. 2368. XIV—XVth cent. Vellum. Exodus.
5. MS. Orient. 1469, fol. 103. XVI—XVIIth cent. Vellum. Numbers XVIII, 23—XIX, 19.
6. MS. Orient. 2704. XIVth and XVth cent. Vellum. Fragments of Numbers; Deuteronomy III, 3—IV, 46.
7. MS. Orient. 1473. XV—XVIth cent. Vellum. Jeremiah and Ezekiel.

III. TARGUM.

1. MSS. Orient. 2228, 2229, 2230. XVIIth cent. Paper. Pentateuch.
2. MS. Orient. 2367. XVII—XVIIIth cent. Paper. Genesis and Exodus.
3. MS. Orient. 2375, f. 316. XII—XIIIth cent. Vellum. Leviticus XV, 19—XVI, 8.

4. MS. Orient. 2210. A. D. 1469. Paper. Former Prophets.
5. MS. Orient. 1471. XVIIth cent. Paper. Former Prophets.
6. MS. Orient. 2371. XVIIth cent. Paper. Former Prophets.
7. MS. Orient. 1472. A. D. 1512—13. Vellum. Samuel and Kings.
8. MS. Orient. 2211. A. D. 1475. Paper. Latter Prophets.
9. MS. Orient. 1474. XVIIth cent. Paper. Latter Prophets.
10. MS. Orient. 1470. A. D. 1484. Vellum. Haftaroht. [See the Pal. Soc., Oriental series, pl. XCL.]
11. MS. Orient. 2364. XVth cent. Paper. Haftaroht.
12. MS. Orient. 2375. XVth cent. Paper. Five Megilloth.
13. MS. Orient. 1476. XV—XVIth cent. Paper. Canticles, Lamentations, Esther.
14. MS. Orient. 2377. XIVth cent. Paper. Lamentations, Ecclesiastes, Megillath Antiochus, Esther.
15. MS. Orient. 2212. A. D. 1586. Paper. Megillath Antiochus.

III.

CONSPECTUS VOCALIUM BABYLONICORUM.

1. Vocales antiquae: $\bar{\aleph}$ \bar{a} et $\bar{ä}$, quod signum $\bar{ä}$ interdum legendum esse suadent formae syriace per \bar{a} scriptae.

$\bar{\aleph}$ \bar{a} et \bar{o} in $\bar{\aleph}$ \bar{a} , $\bar{\aleph}$ \bar{o} .

$\bar{\aleph}$ \bar{i} , $\bar{\aleph}$ \bar{e} , $\bar{\aleph}$ \bar{u} , $\bar{\aleph}$ \bar{o} , $\bar{\aleph}$ = $\bar{\aleph}$.

2. Accedunt vocales recentiores codicum Petropolitanorum, in quibus tamen non omnia certe constitui possunt propter chartae et atramenti condicionem.

a) ante Dages: $\bar{\aleph}$ \bar{a} , $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$, $\bar{\aleph}$ \bar{i} .

b) in syllaba clausa et simul loco hebraei Hataf: $\bar{\aleph}$ \bar{a} , $\bar{\aleph}$ \bar{i} , $\bar{\aleph}$ \bar{e} , $\bar{\aleph}$ \bar{u} . Alias vocalium cum lineola infra posita compositiones non legi. Fortasse alii codices etiam \bar{o} compositum praebebunt.

c) vocales ad gutturalem accedentes scribuntur: $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$ = $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$, $\bar{\aleph}$ \bar{i} = $\bar{\aleph}$ \bar{i} in $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$ = $\bar{\aleph}$ \bar{i} .

d) concurrentes duo $\bar{ä}$ habes in $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$ = $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$, $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$ = $\bar{\aleph}$ $\bar{ä}$.